ANTI-POSSEVINVS, SIVE CONCIO HABITA AD Clerum in Academiâ Oxonienſi Ann. Domini 1625.

Authore RICHARDO LANGIO Socio C. C. C. Vigorn.

Εἰς ἰχνὶ δοξάσεως τετραμμένοι, ἐς δ' ἀνάγκην ἥλιος. Heraclitus.

OXONIÆ, Excudebant IOHANNES LICHFIELD & GVILIELMVS TVRNER, Academiæ Typographi. 1625.

ANTI-POSSEVINUS,
SIVE
CONCIO
HABITA AD
Clerum in Academiâ Ox-
oniensi Ann. Domini
1625.

Ad Librum ſuum.

Cuius vis fieri libelle munus?
Feſtina tibi vindicem parare,
Ne nigri citò ſtigmatis liturâ
Cenſuraq; gravi ambules perunctus,
Damnatæ ſoleant quo abire chartæ;
Vel fias olidâ madens tabernâ.
Seldeni fugis in ſinum? ſapiſti.
Exhortor moneoq; te libelle
Diſerto huic placeas Apollinari;
Nil exactius eruditiusq;
Sed nec candidius benigniusq;.
Illo vindice non timebis atros
Dentes, livida vel Theonis ora,
Quæ ferrugine tincta; non cachinnos
Non ronchos hominum maligniorum;
Hæc expertus ego libelle dico.
Pro me (ne metuas) jube ſalutem,
Quam portâ accipiet bonus patente.
Si quærit quid agam, ſtudere dices,
Poſt præludia velitis papyri,
Vt majori operâ placere poſſim.

Ad Librum suum.

Vis nec fieri libelle munus?
Effluat tibi sinubus cruor,
Ne nigri citò stigmatis litura
Confusa, pravi ambules per urbem,
Dumvare foleam quo adire charta;
Vel fur obtuderit manens tabernæ.
Seldeni Fygis in Forum Lapysi.
Rubeatur monopodio libelle
Dilecto hunc placeam Apollinari;
Vel cautius cruditiusq;
Sed nec cunctibus benignusq;
Pulo mundice non tinuebis atros
Dentes, livida vel Theonis ora,
Nec fermugine tinctu; non crebrinos
Quorumcunq; hominum malignorum;
Hæc experiar ego libelle dico.
Pro me (ne mentiar) pube Laurea,
Quam porta accipiet bonus Parente.
Si quæret quid agam, studere dices;
Poly præludia velitis pugnæ;
Ut magni operâ placere possim.

2. Ad Timotheum Cap. 4. vers. 13.

Penulam quam reliqui Troade *apud* Carpum *veniens affer tecum & libros, maximè autem membranas.*



Elegi materiam conveni-entem tenuitati mearum virium, licet minus ap-tam concionatorio ser-moni, materiam, in quâ, sepositâ divinatione agi solummodo poterit de vocum & vocabulorum significatione. Quorum tamen occasione, si aures patientes adhibueritis fa-ventesq; animos vestros jam diu exulibus hinc lectoribus ea dem; sum prolaturus quæ vos expediat intimè con-siderare, si velitis religionem, & religionem refor-matam, signatam tanto majorum sanguine, integram illibatam; posteris, eorumq; filijs conservare. *Pe-nulam*, inquit Apostolus *quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum.* Commentario aut de-scriptione Scholiue opus non erat primis tempo-ribus, quibus & *Paulo* & *Timotheo* aliisq; innumeris miraculorum erant omnes linguæ ex dono Spiritus Sti.

Vtrum

Verum post longam modo & donorum & linguarum hujusmodi desuetudinem, olim & hodiè afferunt sacri interpretes pro re vnâ petitâ, quasi *Babilonicè* post confusionem linguarum, variam suppellectilem, pallium hybernum, honorarium, sacrum, librorum arculas, volumina nescio quæ *Hebraica* & lucernam. Prima vox *Græcè* est φελόνης quæ & alibi φαιλόνης & φαινόλης appellatur, & à quibusdam in hâc parte sumitur, pro veste viatoriâ, scorteâ, inulioniâ, gausapina, villosâ qualicunq;, defendente expeditos, cursores & peregrinos contra frigora & tempestates. Acq; hujusmodi quidem vestimenti vbiq; mentio sub nomine *penulæ*. Apud *Quintilianum* libro 6. cap. 3. *penulam* roganti respondit *Galba*. Si non pluit non est opus tibi, si pluit, ipse vtar. Et *Iuvenalis* Satyrâ 5 Cum multo stillaret pænula nimbo. Secundum hanc acceptionem *Chrysostomus*: *penulam* quærit, ne hanc ab alijs acciperet si opus. Vides enim eum magno id studio curantem, cùm alibi dixit *Ephesijs*. Scitis quia necessitatibus meis, & hijs qui mecum erant, subministraverunt manus istæ. Et rursus. Beatius est dare quam accipere. Sic ille, & post eum *Hieronymus* in libro tertio adversus *Pelagianos*. *Lacernam*, inquit, *sine penulam quam reliqui Troade apud Carpum veniens vffer ac libros, ac maximè membranas*, putasne *Apostolum Paulum* eo tempore quo sic scribebat de cœlestibus cogitasse mysterijs, & non de hijs quæ in vsu communis vitæ vel corporis necessaria sunt? Da mihi hominem qui non esuriat, non sitiat, non algeat, non doleat, non febricitet, non torminibus & vrinæ difficultatibus torqueatur, & ego tibi c-

cedam poſſe hominem nihil niſi de virtutibus cogitare. Sic hij duo patres, penulam deſideratam ab *Apoſtolo* putant, pro corporis tuendi indigentiâ, & ne ab alijs quid quam emendicare cogeretur. Quamvis & alibi puteo *Hieronymus* fieri poſſe vt *penulam* non ſuam petierit, ſed alicujus converſi eam inter cætera olim ad pedes *Apoſtoli* vendendam imponentis. Secunda expoſitio reponit pro veſtimento arculam aut thecam librariam. Hanc ſequitur *Syriacus Interpres* qui habet בית כתבא domum ſcriptorum, neq; eam iterum recuſat *Chryſoſtomus*, cùm dicat, alij locum putant in quibus libri condebantur. Et quid autem, inquit, illi libris opus erat cùm eſſet migraturus ad *Dominum*? At tunc eis maximè egebat, vt eos fidelibus commendaret habendos, atq; ſeruandos, ab hijs do ſtrinæ illius vice, ſic ille. Vt apud *Martialem* dicuntur thuris piperiſq; cuculli, oliuarum etiam & ſcombrorum penulæ, & tunicæ, quid ni & librorum capſulæ eodem nomine eleganter gaudeant? vt cum *penulam & libros* petat *Apoſtolus* intelligantur libri in capſula ſive arculâ, ſiue thecâ qualicunq; tanquam *in penulâ* conſeruandi contra injuriam tam longinquæ devectionis. Neq; enim abſq; vſu eſt in re alia vt *Grammatici* loquuntur rem vnam diuerſis vocibus ſignificare. Vt in illo *Virgilij* pateris libamus & auro i. ſecundum *Servium*, aureis pateris; & in 14. *Artorum* de ſacerdote *Iouis* dicitur quod cum turbâ ad ſacrificandum, afferet ταύρους καὶ στέμματα, tauros & coronas in vulgatâ .i. tauros vittatos, ſiue ornati coronis tum ſacrifici tùm victimæ ſecundum *Paraphraſim Eraſmi*. Secundum iſta ſi velimus cum *Chryſoſtomo*

Chrysostomo sustinere conjecturam de libris in arcâ inclusis, non repugnat sensus, neq; consuetudo sermonis, & vox etiam *Græca* φαιλόνης, quâ in originali vtitur *Apostolus* pro thecâ librorum accipi apud *Grammaticos* non recusat. Sic enim *Suidas*, & *Favorinus* & *Magnum Etymologicon*, φαιλόνης, ὁ λατὸς τριβώνιον, ἢ γλωσσόκομον. *Phelona* scr. quam vocem rei incertitudine videtur retinere *translatio Slavonica*, membranulam secundum eos significat, sive thecam & scrinium, in quo siue pecuniæ, sive libri, sive quæcunq; alia instrumenta recondantur, & deduci potest hac significatione à φαιλὸς, siue φαιλὸν, quod apud *Hesychium* inter alia denotat extrinsecum librorum tegumentum. Inter has duas interpretationes ancipitem & alternantem habemus nostrum *Calvinum* hijs verbis. Hæc quoq; difficultas me mouet, vt de arculâ accipiam: quanquam potuit aliquis esse tunc vsus vestis qui hodiè nos latet. Itaq; de hijs rebus minus laboro. Non laborat vir disertus, siue arcam thecamq; librariam, siue penulam viatoriam frigoribus & pluvijs arcendis aptam velimus intelligi: sed laborant quidam alij agyrtæ, & nuperi & antiqui, vt Apostolum in his postulatis vanum redderent assertorem suarum stultissimarum & prætextatarum inventionum. Primò enim *Hugo Cardinalis*, *Lyranus*, *Author Glossæ veteris*, *Pseudo-Ambrosius*, alijq; horum sequaces *penulam* volunt hîc intelligi vestem *Consularem*, quam induebant *Consules Romani* ingredientes in *Curiam*, eamq; datam patri *Pauli* in insigne, quando susceptus est in socium & civem *Romanum*, vt per eam se defenderet ab adversarijs; & tum ob hanc causam, tum ob patri memoriam

memoriam, à B. *Apoſtolo* fuiſſe diligenter conſeruatam & quæſitam. Nolo in hijs nugis refellendis negocium mihi, vobiſq; tædia faceſſere: ſed in *Bibliotheca* noſtrâ *Bodleanâ* ad marginem MS^ti *Haymonis* eadem repetentis adijcitur. *Nota* de nobilitate generis *Pauli*, & *Nota* quòd ex hâc declaratione, videtur quod pater *Pauli* non erat *Phariſæus*, ſed miles vel nobilis, quia *Phariſæi* non vterentur hujuſmodi veſte. Deus bone, quantum inane poſſideat mentes *Monachorum* & *ſacrificulorum*? *Chriſtus* elegit ſtulta quæ ſunt in mundo, vt pudefaceret ſapientes, infirma vt pudefaceret robuſta, ignobilia & pro nihilo habita, & ea quæ non ſunt, vt quæ ſunt aboleret, ne gloriaretur (ait *Apoſtolus* ad *Corinthios*) vlla caro coràm eo. Sed hypocritæ *Romane* oſtentationis, quaſi res pudenda eſſet à ſolis piſcatoribus incipere, chlamyde magnificâ *Paulum* ornant, & turpe putant non à ſummâ nobilitate Senatorum *Romanorum* ſeipſos deducere. Quid loquar poſthæc de *Pauli penula* à novis *Ieſuitis* in veſtem ſacram ſive *Pontificale paludamentum* commutatâ. Sic enim & *Paulum* libenter intelligi cuperent ex eâdem ſocietate *Benedictus Iuſtinianus Genuenſis*, & pater *Coſmas Magalianus* in *Academia Conimbricenſi*, *Regij artium Collegij præfectus*. Multa quidem ad hæc ſi tempus pateretur, eſſent à me non inutiliter, proferenda, quibus oſtenderem, & tunicæ & penulę aliorumq; indumentorum vſum in ſacrificijs & officijs *Ethnicorum*, & φαιλόνης etiam apud *Suidam* ſignificare inter alia χιτῶνα ἱερατικὸν, tunicam Sacerdotalem & pariter ἁμαρτίονα, impoſtorem, fraudatorem, deceptorem, fallacem. Illam ego tunicam

tunicam, illam penulam, illam [illegible] permitto Iesuitis quâ arma tegant suæ proditionis, si nunquam in mentem venerit *principibus christianis*, eos adhuc recentes, malitiâ *Templarios* superasse. Non damno majestatem, & solennem cultum religionis. Sed apparet satis superq; cuiquam versato in annalibus & historijs antiquiis pompam omnem *Ecclesiasticam Romanensem*, recentioris esse sæculi & instituti. Si fabulis, si traditionibus *Cabalisticis*, si futilibus conjecturis horum hominum religionem cauponantium velimus auscultari, & prurientem aurem substringere, pulchrum & glorioſum videri possit, omittendo graviora legis, indicium, misericordiam, ac fidem, & pro minutis cæremoniarum contendendo atrociter, picturatam & gemmatam hîc in terris *Ecclesiæ militanti Hierosolymam* excitare, quamvis non sine maximis & dispendijs & concussione totius *Christianæ Reipublicæ*. Redarguit in hâc parte *Christus* apud *Evangelistam scribas & Pharisæos*, quos immanitate facinoris longè exsuperarunt *Iesuitæ & monachi*. Dum enim spreta undiq; jaceat charitas Evangelij, propter lucem, crucem, pallia, & sputamina, cæteraq; minora; quot fluvios humano sanguine exundantes & videmus & legimus? Multa ipsis quietis & pacis gratiâ, si exemplis *Erasmi, Wicelij, Cassandri*, indulgeri patiantur *reformatæ Ecclesiæ*, nulli mansuetudini acquiescunt: sed ferro & flammâ vrgent, & volunt *iure divino & Apostolicis exemplis*, hæc omnia esse necessaria *ad vitam vtramq;*. Si pallij *Pontificalis* à *Roma* olim petiti abusum eis in memoriam revocemus, quin ecce aiunt *pallium* à *Troade Romam*

usq; tantâ milliarium distantiâ ad rem sacram peragendam accersitum. Si spiritualium graduum ordines *Septenario numero* pauciores dixerimus, oeconomiâ *Christiane simplicitatis* omnia superflua abscindente, ecce inquiunt, omnes apertè capitis nostri *Iesu Christi* exemplo monstrantur, qui omnium officia in seipso exhibuit, & corpori suo quod est Ecclesia eosdem ordines observandos reliquerit. Christus aiunt, vendentes & emendentes flagello de funiculis facto ejecit è templo, ecce ostiarios. Saliuâ suâ tetigit aures & linguam surdi & muti dicens, *Ephata*. 1. Aperire, ecce *exorcistas*. Dixit Christus, ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, ecce *Acolytos* sive *ceroferarios*. Christus lintheo se præcinxit, & mittens aquam in pelvim pedes discipulorum lauit, & lintheo tersit, ecce *subdiaconos*. Ecce inquam ego *Simias Romanenses*, ecce deliria quæ patent legere cupiēti in *lib. 4. distinct. 24 putidissimi magistri sententiarum*, ecce novam non jam *philosophorum* sed *Theologorum* sectam omnia ex omnibus educentium, & per hos fucatos colores non absq; infimæ paupertatis & humilitatis professione, conficientium super coronis & fastigijs *sceptrorum*, *mitrarum* imbellium superexaltationem. Sed de hijs aliàs pleniùs & yberiùs; restantibus adhuc alijs binis interpretationibus, priusquam ad aliam descendam, cum contemptu repetendis. Prioris meminerunt *Oecumenius* & *Theodoretus*, dicentes quosdam fuisse antiquiùs qui crederent volumen nescio quod *Hebraicum*, ab *Apostolo* nomine *penulæ* significari, non vestimenti genus, non loculos. Hoc idem volumen alij

alij recentiores, vocant *Replico*. Verùm vt aiunt prædicti patres Γελᾶσαι ἄξιον ἐπὶ τοῖς τοιούτοις. Risu excipiendi sunt hij homines, seriam enim rem cùm agerent *Apostoli*, noluerunt proculdubiò more hominum imperitorum, ex librorum titulis evanidam sibi gloriolam aucupari, aut hujusmodi librorum lectione tam procul accersitâ se ad mortem preparare. Nolo multis hic immorari, sed cum risu sit opus, eum nobis exhibebit, agens contra quosdam indoctos sui temporis, *magnus* ille *Erasmus*, qui nec fallit, nec fallitur, ex Libro primo *Antibarbarorũ*. Ita me Deus amet (inquit altera Dialogi illius persona) ad vomitum vsq; nauseo, quoties quorundam delicias, & stultam gloriam ex operum Inscriptionibus colligo, qui cùm nil nisi meram barbariem evomuerint, audite quæso quàm splendidis titulis suas nugas adornent, vt facilè intelligas quàm delicatè simij isti suos catulos adament. Alius, quod somniauit, Gemmulam, alius Margaritam appellat, hic Floretum, ille Rosetum inscripsit; at in medio ô bone Deus, vt nil nisi carduos & lolium invenias. Est qui Speculum operi suo nomẽ dedit, est qui omnium errorum syluam, Catholicon ausus est appellare. Ineptiùs etiam quidam *Mammetreptum*, velut haustum lactis Gallinacei pollicens. Sunt qui summas & Summarum Summas appellent, quasi lectori non sit alius scriptor requirendus, vbi tales sit nactus lacunas. An non eandem insolentiam deprehendas in auctorum titulis, quos ideo magnificos illis tribuunt, vt ipsi præclarum aliquid ac supra hominem profiteri videantur. *Basilium*, *Originem*, *Chrysostomum*, & hijs consimiles viros, aut non

citant, aut contemptim, veluti censores: verùm cùm crepant illos suos doctores Sanctos, doctores Irrefragabiles, doctores Subtilissimos, doctores Seraphicos, tum sibi videntur adferre nescio quid, cui cedere debeat etiam majestas *Evangelica*. Quod si in antiquis & eruditis has inscriptionum deliuias docti non tulerunt, quis in hijs barbaris ferat, qui ad contaminandas literas geniti videri possint? quis non (vt est in proverbio) suspendio trabem eligat, vbi videt hujusmodi voluminibus refertas passim bibliothecas, perstrepere ludos? Ex hijs contexi conciones ecclesiasticas, ex hijs colligi dogmata, quibus gubernetur Orbis, ex hijs nos censeri *Christianos*, aut secus. Adde quod in tradendo nusquam hærent, nil addubitant, omnia constant, omnia præcipiunt: credas eos non docere, sed leges præscribere. Hæc ille, quæ non mi- nus in nostra tempora fortiuntur veritatem, si recolamus in nostra tempora fortiuntur veritatem, si recolligamus consideratione farraginem & furtaginem librorum & libellorum, qui indies apud nos nullo genio aut ingenio scripti, nullis bonis avibus excogitati, tamen *quam male* nascuntur, vt ait *Aristoteles* in primo Elenchorum, instar tribuarium hostiarum tumentes & apparantes seipsos, bellè titulati, & miniati, & lemniscati, indies apud nos prodeuntes, vtilissimam imprimendi inventionem reddiderunt despicabilem. Qualis hic campus aperitur omnem *Persium* splenis petulantiam effundendi! *Steropes*, *Brontesij*, & *Pyrachmones Gutenbergiani*, patiuntur innumeros diserros veteris facundiæ *Græcæ*, *Latinæ* scriptores, innumeros antiquitatis Sacræ, Politicæ *Antistites*, interineas & blattas putrescere, dum dehiscant in prælis

vadiq;

vndiq; hinc *Franciscus aliquis novus* pleno ventre laudans jejunia, inde alius *cachinno nescio quis* captans araneas. Hic ex prælo educit manipulum flosculorum tiliæ, ille extrahit phelonam siue arculam, sive *cabinettam* pro *Dominorum* vxotibus. Alter *veterani alicuius musarum editur* labores nactus, eos facit in suis cunis lallare & ad crepundia repueraſcere. Euge mire bene eritis res. Sed me reprimo; & de penula lubens peragerem nisi quod obliviſci non possum annotationis cujusdam, mei sapientissimi *Desiderij*, ex quâ apparet parum abfuisse, quin cogeretur illa etiam penula lucernam redolere. Sic enim ait vertit *Hieronymus*, lacernam, sive penulam, tametsi in pleriſq; codicibus pro lacernâ depravatum erat lucerna à lucernario quodam. Maxima certè fuit & incuria & ignorantia *monachalium librariorum*, verùm ego facile credo eam depravationem spontanee contigisse, vt occasio daretur quibusdam sacrificulis vno absurdo dato, confingendi innumeras particulas *Paulini Candelabri*, multò certè chariores futuras insanæ plebeculæ propter spectaculum & oscula, quam totus olim *Epicteti* lychnus fictilis, quem repertus est aliquis *Luciani* ætate trecentis denarijs redemisse, sperans futurum, vt si noctu ad istam lucernam legisset, mox *Epicteti* sapientiam somniaret & similis fieret admirando seni. Et infinitus esse possem narrando quemadmodum gaudijs hujusmodi stultissimis otiosi & viles monachi illuserint credulitati *Christianorum*. Sed pergo. Libri vt audivistis mihi & alijs cum *Chrysostomo* videri possint in *penulâ* inclusi, nolo ego propterea eos inde divinatione aliquâ extrahere

præſer-

præſertim cùm tot annis antecedentibus, nihil certò de ijs conſtiterit; & eodem modo melius etiam puto ſilere de membranis non minus obliteratis pulvere antiquitatis. Cùm verò libros & maximè mẽbranas expetiverit *Apoſtolus*, libros & bicolores membranas vocaret *Perſius*, votorum meorum & propoſiti ſummа eſt, ſi oſtendero clarè & luculenter, non minorem nobis quam ipſi incumbentem ejuſdem deſiderij neceſſitatem. Nobis inquam pugnantibus & decertantibus hodie cum ſatellitibus *occidentalis Antechriſti* pro fide *Apoſtolicâ*, ex librorum antiquorum & maximè membranarum fide & teſtimonio. Hiſtoriam ergo & machinationem adverſariæ partis primùm cognoſcite. Poſt primum infamem milleſimum à *Chriſto* & *Apoſtolis* qui in *Wicleviſtarum* & *Waldenſium* ſcriptis tam celebris habetur, ſecundum prædictionem *Revelationis* ſtatim habemus *Hildebrandum* ſive *Gregorium Septimum*, librorum & membranarum famoſiſſimum corruptorem: pro Evangelijs & Epiſtolis illico ſupponuntur *Apoſtolorum canones*, de quibus antiquus membraneus codex conciliorum noſtræ *Bodleanæ*. Incipiunt canones qui dicuntur *Apoſtolorum*, quos Sᵘⁱ Patres in Catalogo *canonicarum* ſcripturarum non numerant. Hijs canonibus contra fidem & ſimplicitatem *Scripturæ Evangelicæ* ſuccenturiantur *Pontificum* antiquiſſimorum *Romana* Eccleſiæ pſeudepigraphæ *Decretales*, de quibus clariſſimus juriſconſultus *Franciſcus Duarenus* in præfatione quadam ad librum de eccleſiâ, & miniſterijs eccleſiaſticis. Atq; hinc natum eſt, inquit, illud apud noſtrates tritum ac vulgò jactatum, malè cum rebus

rebus humanis actum esse, ex quo decretis alæ accesserunt. Immo inquit *Aventinus* Annalium *Bojorum* libro 5. tùm mores ambitione, avaritiâq; corrupti paulatim invaluere, tempora periculosa cæpere, quæ nobis cavenda *Christus* servator noster, *Petrus* etiam ac *Paulus* longo ante tempore probè cantarunt, tùm illa quæ de *Silvestro* & *Constantino* vulgò inculcantur, & alia pleraq; quæ ob modestiam *Christianam* referre pudet, non minus imperitè quàm impudenter mendacirerq; sunt conficta. Simulata religio, species pietatis invasit; compilationes, nundinæ sacrorum irrepsere, & sacrosancta philosophia humanis commentis, fabulis anilibus, à sycophantis callidâ interpretatione pollui, corrumpi, violari cæpit adeò, vt sine multorum pernicie religio sancta procurari & ad pristinam majestatẽ restitui non possit. Hæc ille. Neq; in *Gregorio* consistit mysterium iniquitatis; serpit tanquam gangræna, & inventus est non multis postea annis inter cæteros artifex egregius *Lanfrancus* noster *Cantuariensis*, qui non parvam operam insumpserit in corrumpendis & detorquendis Patrum antiquorum sententijs ad assertionem & defensionem doctrinæ tetterrimæ illius *Papæ*, qui secundum prolata ex *Aventino*, apud *Sigebertum* in extremis agens, spiritu nescio quô agitante confiteri cogeretur, se valde peccasse in pastorali curâ, & suadente *Diabolo*, contra humanum genus odium & iram concitasse. At quid præstiterit *Lanfrancus* in hujus rei subsidium, innuit satis catalogus *Bostoni Buriensis*. *Lanfrancus enim* inquit omnes veteris & novi testamenti libros, qui vicio scriptorum corrupti erant, nec non & scrip-

ta Sanctorum patrum ſecundum orthodoxam fidem correxit & commutavit. Pulchra, credo, ſcripturarum commutatio, illis id agentibus, quibus dici veriſſimè poſſit illud *Ovidianum*; *Nam vos mutaſtis & illas.* Certam ſuæ commutationis inſtantiam quoad ſcripturas non habeo, niſi fortè *illum Geneſeos* de quo *B. Pſalmiſta.* In principio libri, ἐν κεφαλίδι, in capite ſcriptum eſt de me, commutaverit in *illam*, vt dignationem matris Dei ſuper majeſtatem filij ſtupendo miraculo incarnati extolleret. Et *myſterium* quo verbo vtitur *Apoſtolus* 5. ad *Epheſios* de vnione *Chriſti* & *Eccleſiæ*, commutaverit in *ſacramentum*, vocem ea ratione ignotam *Dionyſio Ariopagitæ*, *Hieronymo*, *Auguſtino*, quâ faciunt hodierni veteresq; *Papiſtæ* numeroſam in nuptijs, vnctionibus, aliiſq;, ſacramentorum *Chriſtianæ* fidei multitudinem. Verum in ſcriptis Sanctorum Patrum ſemel perfidè agentem deprendiſſe ſatis eſt vt in pluribus ſuſpicemur: Sententiam noſtram *Apoſtolicam* & *Evangelicam* de modo præſentiæ *Chriſti* in ſacramento altaris, aſſeruit olim contra emergentem ſuperſtitionem *Iohannes Scotus Erigena*, vir magnis teſtimonijs doctiſſimus & ſanctiſſimus ſuæ ætatis, qui & ſcripſit vnum librum de Euchariſtiâ teſtante *Boſtono*: illi in eadem ſententiâ poſt alios ſuccеſſit non minus celebris, arte moribus, & ingenio, nobiliſſimus *Berengarius*. *Scoti* liber vnà cùm *Berengario* in *Vercellenſi* aliiſq; *Synodis* damnatus eſt, ſed vtriq; cùm *Romanos* premerent *Ambroſij* authoritate dicentis libro 4. de Sacramentis, cap. 4. Iuſſit *Dominus*, & omnis creatura generata eſt: vides ergo quàm operatorius ſit ſermo *Chriſti?*

Si ergo tanta vis est in sermone *Domini Iesu*, vt inciperent esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur, jussus hîc *Lanfrancus* respondere, confert se illico ad propriæ commutationis authoritatem, & ait in quibusdam tamen codicibus præfatam sententiam verbis alijs inveniri hoc modo. Si igitur tanta vis est in sermone *Domini Iesu*, vt inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt quæ erant in aliud commutentur. Et post in hj, quasi æstro percitus exclamat. *O mentem amentem ô hominẽ impudenter mentientem! O puniendam temeritatem! Ambrosium testem accire præsumis, quod panis & vinum altaris per consecrationem non desinuit esse quod erant, sed commutantur in aliud quod non erant. Et quidẽ si de sacramentis seu cæteris de quibus Ambrosius scripsit, omnes revolvas libros, quos Ecclesia in vsu nunc habet, tale aliquid ab Ambrosio dictum, taliterq; expositum, nunquam reperire valebis, quòd si dixisset, præclarissimæ famæ suæ plurimum detraxisset, & sibĳpsi contrarius extitisset, & rem incredibilem credendam esse constituisset.* Sic ille mendaciter & *Hildebrandicè*, librorum & membranarum pernicies, quales etiam plures ea tempora protulisse testis est locupletissimus quidam ipsi forsan coætaneus, aut senior *Thomas de Chabeham* sive *Chebeham* subdecanus *Saram* in summâ MSti. *Orealensis Bibliotheca* de pœnitentiâ & officijs Ecclesiasticis, qui cap. 112. postquam adduxerit authoritatem quasi *Ambrosij* in controversâ de venialitate fornicationis, tandem respondendo subjecerit, in hunc modum: Potest igitur dici

quòd

quòd illa authoritas ſuperior quâ videtur lubricum carnis excuſari à mortali peccato & tanquam veniale purgari in purgatorio non eſſe veri *Ambroſij* ſed *Ambroſij adoperti* qui falſarius fuit & multas falſas ſententias inſeruit ſcriptis *B. Ambroſij*. Iubet me hic animus meus immorari & multa ad deteſtationem hujus nequitiæ vobis pariter in mentem revocare ex præfationibus immortalis *Eraſmi* ad opera & editiones Sanctorum Patrum; ad *Hilarium* enim ſic. Etenim quantopere fidendum ſit ei, qui vetuſtos authores temporum ac librariorum culpâ, ſed multo maximè, ſciolorum, & audaculorum temeritate, non vno modo depravatos emẽdare conatur, vt nemo ſentit, ita nemo credit, niſi qui periculum ipſe fecerit. Verum illud mihi magni cujuſdam, & excelſi animi videtur, publicitus bene mereri de omnibus vel citra ſpem redituræ ad benemerentem gratiæ. *Hilarius*, res non modo difficillimas, verumetiam inexplicabiles, illâ ſuâ phraſi differit, verius quam explicat. Et tamen vix in alium authorem plus ſibi permiſit eruditulorum temeritas, ſiquidem ex collatis variis exemplaribus, deprehendimus alicubi librorum initijs additas præfatiunculas, rurſus in fine coronides, in medio pannos aſſutos, alicubi, quod *Hilarius* ſuo more fuerat prolocutus, ſciolum aliquem abſolutius & evidentius conatum explicare. Nonnullis paginis viginti aut triginta verſus erant aſſuti. Iam verò quoties incidebant loca, quæ videbantur ab opinionibus inter orthodoxos receptis diſſidere, pharmacum adhibere? In libris, miſcuerunt. Quænam eſt iſta temeritas? In libris, alienis, præſertim veterum, quorum memoria nobis,

vt esse debet, sacrosancta est, quum ipsi absint à periculo, quemvis vtcunq; visum fuerit, radere, expungere, addere, demere, mutare, supponere? An hoc agitur, ne quis putet, in veterum libris esse quicquam erroris? Atqui, laterem, vt aiunt, laverit, quisquis istuc conetur. Hanc felicitatem Deus solis divinis voluminibus peculiarem esse voluit. Alioqui nemo quantumvis eruditus & oculatus, non labitur, non cæcutit alicubi, videlicet vt omnes se meminerint homines esse, & à nobis cũ delectu, cum judicio, simulq; cum veniâ legantur: similiter in præfatione ad *Hieronymum*. Calceos inquit sanctorum & sudariola mucco sordentia exosculamur, & eorundem libros, sanctissimas & efficacissimas *Divorum* reliquias, neglectos jacere patimur. Tuniculam aut indusiolum sanctorum aureis gemmatisq; thecis reponimus: & libros ab illis elaboratos, in quibus id quod illorum fuit optimum, nobis adhuc vivit, spiratq; cimicibus, tineis, ac blattis impunè rodendos relinquimus. Et deinde. At nunc haud scio, an quisquam omnium Hieronymo tractatus sit indignius. Bona pars vigiliarum illius interidit. Quod supereſt non depravatum erat, sed prorsus extinctum & obliteratum: idq; partim quidem illiteratorum vitio scribarum, qui solent emendatis inemendata describere, ex mendosis mendosiora reddere: prætermittere quod non legunt, corrumpere quod non intelligunt, veluti *Hebræa Græcaq;* vocabula, quæ frequenter intermiscet *Hieronymus*: sed multo sceleratius, à sacrilegis haud scio quibus studiô detruncata permulta, addita nonnulla, mutata pleraq;, depravata, sordidata, confusa penè omnia.

vt vix vlla ſit periodus, quam eruditus inoffenſe poſſit legere. Imò quod eſt peſtilentiſſimum vitiandi genus, perinde quaſi parum eſſet tot inſulſiſſimas nugas, juxta infantes atq; ineruditas, in hominis eloquentiſſimi pariter ac doctiſſimi nomen ac titulum contuliſſe, mediis illis commentarijs paſſim admiſcuerunt ſuas nænias, ne quis repurgare poſſit. Nam librum falſò inſcriptum permulta ſunt quæ coarguunt. Cæterum fragmenta ſparſim intermixta, veluti frumento confuſum lolium, quò tandem cribro repurget aliquis? Ne moleſtus ſim omnes hujus negotij moleſtias perſequens: vnum illud & verè dicam & audacter: minoris arbitror *Hieronymo* ſuos conſtitiſſe libros conditos, quam nobis reſtitutos. Et denuo in præfatione tomi 4. vidimus tam ſacrum virum non ſolum depravatiſſimum, verumetiam alienorum intermixtione librorum ita contaminatum, vt propemodum plus eſſet alieni: & quid non referam ea quæ ad hoc propoſitum habentur in præfatione *Auguſtini*? Verùm quæ inquit vel librariorum incuriâ, vel lectorum inſcitiâ commiſſa ſunt, habent vtcunq; colorem, quò culpam leuent, ſi non excuſare, certè extenuare: quamquam hanc oportuit eſſe præſulum & Abbatum curam vtilia exemplaria diligentiſſimè caſtigata ſervare in publicis Bibliothecis. Sed tot Abbates opimo reditu nihil aliud quàm ædificantes, vel alentes equos, vel epulantes. Illos verò quis abſolvat à ſacrilegij crimine, qui nec errore, nec vllâ neceſſitate, ſed ineptâ libidine, ſtudio mutarunt hujus viri ſcripta, vertentes q; in & &, in q; dixit in ait, verbum in participium, participium in verbum: aliaq; innumera hijs conſimilia

milia, quasi luserint in opere alieno. Hoc flagitium quum aliàs, tùm præcipuè deprehendimus in libris de Trinitate. Deprehendimus autem ex collatione codicis quem nobis præbuit *Flandria* monasterium quoddam, sanè bellum ac vetustum, dixisses bonæ fidei, magnæq; authoritatis exemplar. Vix vnquam occurrebant duo versus, quin esset quod jugularet transversus calamus. Hic non erat error aut oscitantia, sed impius ludus hominis male seriati. Alibi nescio quis sententias expleverat. Risimus non paucis in locis insignem scribarum delirationem, qui quod lector ineptiens annotarat in margine sui codicis, retulerant in contextum. Alius ex vndiquaq; decerptis frustulis veluti novum opus, Augustini titulo construxerat, alius aliena cum *Augustini* scriptis miscuerat, alius ex quæstione fecerat epistolam, assutis initio paucis verbis. Ne singula persequar, vix in alterius tàm impiè, quàm in hujus sacri doctoris voluminibus lusit otiosorum temeritas. Vt omittam interim pseudepigrapha, quædam non inerudita, quædam vix tolerabilia, quædam prorsus indocta, verùm in omnibus quæ illi falso sunt inscripta, nihil insulsius, aut impudentius sermonibus ad *Eremitas*, in quibus nec verba, nec sententiæ, nec pectus, nec omnino quicquam est *Augustino* dignum: & tamen quisquis hoc opus confinxit, homo suavis sibi promisit futurum, vt *Augustinus* crederetur, & sanè reperierunt similes labra lactucas. Similiter in præfatione tertij tomi *Ambrosij*. Sermo de *Agne* cujus sit nescio. Appendix in fine indicat artificem. Hæc ego *Ambrosius* &c. Quis enim vnquam appellavi divina volumina

præter ſcripturas canonicas? Vltimus de baptiſmo D. *Auguſtini*, citra controverſiam impoſtoris eſt ac blateronis, adeo nihil eſt illic *Ambroſianum*. Verùm cùm *Auguſtinum* in baptiſmo ſtatim ornat cucullâ nigrâ, & cingulo coriaceo, ſatis indicat de quo grege fuerit, qui hæc confinxit. Nam hâc ſpecie pingunt etiam illum bonum virum ij, qui nunc vulgo *Auguſtinenſes* dicuntur. Malè ſit talibus rabulis. Atq; hæc omnia colligere pretium fuit meæ operæ propter *Lanfrancum* horum rabularum antiſtitem & prodromum. *Adopertos Ambroſios* vocat *Chebbamus*. Demus bone! ante ingentem noſtrum *Eraſmum* quot phalanges iſtorum *adopertorum*, & quàm turpis & interpolata facies venerandæ antiquitatis? *Eraſmus* eſt qui vel in ſacratiſſimâ concione meretur laudis exiniiæ parentheſim, quem licet rabularum dicteria quaſi incertum animi, converſis pedibus, in lunâ modo inferius modo ſuperius ſe alternantem ſuſpenderint, oportet doctos venerari, tanquam ſidus Eccleſiæ lucidiſſimum poſt *Apoſtolorum* tempora, ſidus glorioſum, ſublime, nullamq; patiens parallaxim niſi in ſtultorum & malignorum perſpicillis. Ille facem prætulit, ille accendit, ille admonuit Eccleſiam Chriſti, tenebrarum plus quàm *Cimmeriarum* in quibus tot annis nihil aut aliud agendo conſederat. Sed audentiores pergunt adhuc *Romani* tenebriones, inſtaurantq; modis omnibus, artem veteratoriam, *Hildebrandicam* ſive *Lanfrancicam*, corrumpendi veros patres, falſoſq; pro veris ſupponendi, & abolendi penitus omnem paginam, paginæq; periodum, quæ ipſis

sis contrà staret &diceret; fures estis, raptores, impostores & invasores Ecclesiæ *Christianæ*. Post *Lanfranci* tempora, nullâ quod vsquam memini dubitatione vlteriùs factâ, de planô *Ambrosij* textu, sicut à *Berengario* & *Erigena* adduceretur, membranis (vt aiunt, me peritiores) omnibus, omnibusq; impressis editionibus eadem proclamantibus, non tamen verita est *Romana* impressio sola *An. Dom.* 1579. iterum *Lanfranchizare*, proprio cerebro confingens quæ nullâ authoritate niterentur, neq; illo patre mendaci consulto, quem in margine non citant, tamen adducentes *Ivonem Carnotensem* & *Petrum Lumbardum* pro testibus: vtrosq; ipsis quoad literam repugnantes tum in impressis, cum in manu exaratis codicibus; nisi quod *Glossa Lumbardè* in aliquibus corrumpat textum dicendo vt sint quæ erant, scilicet quantum ad formam, & in aliud commutentur. i. secundum substantiam. Quis hîc modestè non regerat & hijs & illis proprias ipsorum contumelias? *O mentes amentes! O homines impudenter mentientes! O puniendam temeritatem!* & ô frontem de rebus pereuntem! Quid autem oris, quid animi pudici ab ijs speremus? qui jam diu frontem perfricuerunt, & grandævifacti in hoc facinore corruptionum, audeant apertè profiteri, præscribere, & discutere earum regulas & problemata. *Historici, Poetici, Philologi*, non tantum *Theologi* omnes, antiqui, recentes, medij, funt apud eos deletiles, coguntur dicta indicta facere, dictis contraria proferre; Instantiarum in hâc parte invidiosâ copiâ laboramus, earum vice, audite non curatores

ſatorem ſed helluonem librorum Bibliothecæ *Vaticanæ Antonium Poſſevinum Ieſuitam*, in *Bibliotheca ſelectâ* lib. 1. cap. 12. Iam libri inquit, emendantur, corriguntur, purgantur, correctio, & emendatio adhibetur potiſſimum, vbi contextus malè vel deſcriptus, vel excuſus eſt. Purgatio ad ſenſus inverſionem, ad hæreſes, ad fœditates tollendas. Purgandis libris percommoda ſunt, quæ primò ſancta *Romana* eccleſia edixit, & qui incumbunt, *Magiſter ſacri palatij*, ſanctiq; officij inquiſitores, præſertim *Hiſpanici*; deinde *Academiæ Catholicæ* ex *Apoſtolicæ* ſedis conſeſſu monuerunt. Extant verò decem regulæ *Indicis* librorum prohibitorum per patres à *Tridentinâ Synodo* delectos conſcriptæ, & auctoritate *Pij* 4. *Pontificis Max.* comprobatæ; quæ ante ipſum indicem excuſæ habentur. Purgandæ publicæ, purgandæ privatæ Bibliothecæ. Monendi ad hoc Bibliopolæ, edicto, pœnis, charitate, *Principum* ſuorum nomine. Porro ne longior eſſet expurgatio; aſſignandi eſſent, qui toti negotio præeſſent gnari librorum & ſolertes. Hijs ſubeſſent *Amanuenſes*, qui partitô inter ſe labore loca requirerent expungenda. In Bibliothecis principum, & aliorum, cavendum eſt potiſſimùm, ne vnicuiq; pateant manuſcripti libri, ſive *Græci & Latini*, ſive alio idiomate conſcripti, qui ab Eccleſiâ non permittuntur; ad iſtos enim & purgatio pertinet. Cogitent hij principes, ſe ex hâc vita decedentes, num filijs aut cognatis tale patrimonium relinquendum ſit, vnde aliquo inficiantur errore, atq; ita hæreditatem amittant æternam. Hæc omnia ſi vno

in hoc

& eodem tempore procurentur, id est, quod sæpè vel ingentibus civitatibus accidere vidimus, quæ vnicâ die mundantur, cùm quisq; spatium viæ quod ad se pertinet, everri jubet. Ista *Possevinus*. Hæc methodus purgandi; & in quocunq; authore hæreticum est quod ipsis displicet, vt apparet ex editâ expurgatione imperfecti operis *Chrysostomi* in *Matheum*. Hæc concilia sunt sceleratorum, nec segnes reperiuntur in opere exequendo. Quasi pro Dijs & focis, vt aiunt, & spe cælesti, inducunt *Romani* in populorum animis vt libros corrumpant, commutent, & invertant; & nos nondum satis expergiscimur ad eorum restitutionem? Dormite si placet quod supereſt. Sed intelligite, nullam vrbem quantumcunq; munitissimam fossis, turribus, propugnaculis diu salvam esse posse, sine vigilijs & sedulitate civium, sine Ducum consilijs, nisi virtute irritæ fiant insidiæ, & fiant quotidianæ earum rerum instaurationes, quæ balistis, arietibus, cuniculationibus, alijsq; hostium technis fuerint concussæ, corruptæ, aut conturbatæ. Sunt & nunc & olim *Iudæi Caraim* sunt & *Iudæi Talmudim*, lectionarij *Iudæi* & *Iudæi* traditionarij: in horum *glossematis* sepelitur & demergitur vis scripturarum; apud illos ita exiliter se habet litera vt vix intellectionem pariat, aut pariat vacillantem omni agitatione & aura vani cujuslibet *doctrinantis*. Similiter se habet inter *Christianos*. Hijs omnia præter scripturas solitarias sunt damnatè Apocrypha. Illis vilescunt omnia sine limbo paradiatribarum. Satis vos agnoscitis quos vtrinq; despiciam. Quid restat, quin vt nos me-

dij ambulemus non permittentes *Bibliotheca* fiori *Bibliotaphia*; cultu novo reparantes quantum licet, patrum Ecclesiæ venerandam senectutem. Occurramus modis omnibus corruptorum improbitati, educamus de pulvere illiterato, tot manuscriptos testes nostræ veritatis; educamus maximè membranas, quibus *Romanorum*, initia, progressus, & infida mysteria magnâ cum indignatione describuntur. Fieri enim non potest quin fugitis depromptis ex propriis ipsorũ pharetris, tempestivam illis plagam infligamus, modo in vnum fasciculum cum curâ & diligentia recolligerentur; quales sunt. *Giraldi Cambrensis gesta, pugna Menevensis, speculum Ecclesiæ, Gualtheri Mapis Archidiaconi Oxoniensis nugæ Curiales. Nigelli Wirecheri Burnellus, sive speculum stultorum. Stampensis epistola. Serlonis versus contra monachos veteres. Ægidius de Fæno contra sectam se flagellantium. Gulielmus de sancto Amore contra fratres girovagos, & de quatuor novissimis. Hugo sive Conbrensis sive Ambianensis, sive de sancto Victore tum classis, tum duodecim abusiu monstrum anima describens, tum duodecim abusiu mostrum animæ describens, Richardi Armachani varia, & varia posteriorum, Roberti Lincolniensis, Lupus Castellunculus de communis curiæ Romanæ, sive quodidem efficit, Portugalensis nescio quis de eius qualoribus. Canteriverbum abbreviatum, aliq; similes, tam nominibus noti quàm Anonymis*; quorum lectione perpetuò moneamur, & coerceamur ab omni appetitu gedeundi ad vomitum tumultus, turpitudinis, ignorantiæ, captivitatis, & superstitionis plus quàm paganæ, *Romæ degeneris*; quàm

quam expurgatus & mutilatus, in editione *Ludovici Castelvetri*, & à me nunc conversus & restitutus, nobilis literaturæ vindex *Franciscus Petrarcha* hijs diris persequitur.

Irarum domus infamis, scaturigo doloris,
Hæreseos templum, errorum schola turbida, dicta
Olim Roma, *hodie* Babilonia *conscia, falsa,*
Propter quem planctus tanti & suspiria tanta,
O fabrile doli & fraudis, custodia dura,
Quâ perit omne bonum, colitur crescitq; nefandum,
Vivorum infernus, res certe mira futura est,
Ni Christus tandem in magnam se solverit iram,
Paupertate humili & casta fundata levasti
In Dominos fundatores tua cornua scortum
Effrons; unde tibi tanta hæc audacia crevit?
A machis, opibusve ingentibus haud bene natis?
Has tibi cùm nequeas iam Constantine redire,
Auferat infelix tua qui mala sustinet orbis.

Post ista de verbis & verborum occasione, ego quemadmodum alia eliciam theoremata theologica, aut Ethica doctrinalia non video. Sed *Erasmus* in hunc modum. O supellectilem *Apostolicam*, penulam quæ defendat ab imbribus, & libros aliquot haud dubiè sacros. Nunc quantum est Caballorum, quantum bombardarum, quantum aliarum rerum quas referre non licet. Et ad eundem modum *Claudius Espensæus*. O supellectilem, denuo inquit, Apostolicam, penulam non purpuram, & libellos non caballos aut mulos, & membranas non culinas, & aliarum rerum quas referre non libet impedimenta, unde *Bernar-*

ad *Gulielmum Abbatem* sic quiritatur. Quod specimen humilitatis est cum tantâ pompâ, & equitatu incedere? tantis hominum crinatorum stipari obsequijs, quatenus duobus Episcopis vnius Abbatis multitudo sufficiat. Mentior si non Abbatem vidi sexaginta equos & amplius in suo ducere comitatu. Dicas si transeuntes videas, dominos esse castrorum, non patres monasteriorum, provinciarum principes, non animarum rectores, tot deinde gestantur mappulæ, scyphi, bacini, candelabra, mantica lectorum ornamentis non stramentis suffarcinatæ. Vix quatuor leucis à suâ domo recedunt nisi cum totâ supellectile, quasi vel ad exercitum ituri, vel per desertum, vbi necessaria non inveniant, transituri. An non posset eodem vasculo & aqua manibus vergi & vinum bibi? Aut non ardere lucerna nisi in candelabro quod portatis aureo vel argenteo? aut non dormiri nisi super stratum varium aut sub peregrino copertorio? aut non vnus aliquis minister jumentum ligare, ad mensam servire, lectulum parare? quid tanta garsionum & jumentorum non necessaria sine necessarijs multitudo vt sic gravemus hospites? hodiernam insolentiam non attingam inquit *Eborensis*. Secundam doctrinam elicit & *Cadurcus* in hunc modum. Apparet *Apostolum* quum jam ad mortem se pararet non tamen à lectione destitisse, vbi ergo sunt qui se eò vsq; pro[illegible] nullâ amplius exercitatione indige[illegible] erat

enthusiasmos jactant. Nos verò scimus pijs omnibus commendari hoc loco assiduam lectionem ex quâ proficiant: hæc ille vt cæteri concionatoriè, quæ licet ex fonte verborum *Apostoli* sponte sua non nascantur, considerationem tamen nostram possint vtiliter subire, nisi quod in prioribus cavendum ne *Bernardicè* .i. versutè, vafrè, & fallaciter, vt nobis laudem quasi vitæ *Apostolicæ* aucupemur, nimium alios vrgeamus ad primævam penuriam & ejectatem. Quæ ab *Erasmo* & *Espencæo* dicta sunt contra infinitam ecclesiasticorum luxuriam triumphantium *Epicuriacè* in devicti orbis spolijs, tanquam à bonis viris prolata in meliorem partem censeo accipienda, valent & aculei *Clarevallensis Abbatis* contra suos consortes; ipsum tamen divitem in tot encomijs paupertatis remitto propter hypocrisin ad meritam derisionem *Iohannis Planetæ* apud *Gualtherum Oxoniensem Archidiaconum*, & inter eos numero, de quibus *Sariisburiensis* lib. 7. *Curialium* cap. 21. Iejunant hij continuè, sine intermissione orant, clarè tamen, & vt audiat hospes, asperis & sordidis vestibus induuntur, & populum increpant. Arguunt clerum, de moribus corrigendis sollicitant principatus & potestates, testimonium sibi acquirentes justitiæ, si vitæ detrahant alienæ. Ostentant difficilia, & familiarius sibi propinqui, possibilia & quæ [illegible] sunt exprobrantur, sic [illegible] esse ex-

quàm *Apoſtolicè* ingerentibus; & revocantibus clerum ad peram & baculum, librum ſolùm & penulam contritam cum diſerto quodam viro *Æneæ Sylvij* contemporaneo, reſponſionem facio hijs verbis. *Cur ſi ita eſt non iubetis nos miracula edere, ægrotos liberare, defunctos vitâ à mortuis excitare, cur non etiam columnæ alligari? cædi flagellis, ſpinis coronari, in crucem ſuſpendi, deſcendere ad inferos, atq; inde cum priſcis patribus ad ſuperos evolare.* Qui ſibi perſuaſerint paupertatem, & tenuitatem tam fœcundas eſſe bonorum; habeant per me licet earum ſatietatem cum ſordibus & pediculis: mihi ſano & ſobrio placebit ſemper rerum amplitudo, in Eccleſiæ, in ſtudiorum, in militiæ, diſciplinâ; ſiquidem naturæ, rationis, & *Senecæ* veram vocem audio. Quid dubij, quin major materia ſapienti viro ſit animum explicãdi ſuum in divitijs quàm in paupertate? cùm in hâc unum genus virtutis ſit non inclinari, nec deprimi; In divitijs & temperantia, & liberalitas, & diligentia, & diſpoſitio, & magnificentia campum habeat patentem. Deſine ergo Philoſophis pecuniâ interdicere, nemo ſapientiam paupertate damnavit. Habebit Philoſophus amplas opes, inquit ille, habebit Eccleſiaſticus inquam ego, habebit *Chriſtianus Sacerdos*, qui Philoſophi ſunt horum in temporum, ſed habebit nulli detractas, nec alterius fame cujuſquam injuriâ pa
honeſt
gemi

694.e 15
8.

CONCIO AD CLERVM

HABITA
IN TEMPLO BEATÆ
MARIÆ *Oxon: Feb:* 14.

PER
RICHARDVM GARDYNER Sa:
Theol: Doct: & Eccles. Cath:
Christi Canonicum.



OXONIÆ,
Excudebat Io: LICHFIELD Impensis
GVIL: DAVIS, & ED: FORREST.
Anno Dom. 1631.